



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

220. An regulares, quando adire non possunt Summum Pontificem, vel
sacram Congregationem, debeant pignora vasa, lampades, candelabra
argentea cum licentia Episcopi? Sed crica hoc aliqua alia valde ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76429](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76429)

desiderantur, ad quorum electiones, utpotè auctiori vinculo deuincti, strictius etiam tenentur. Neque formalitates Caietani in huiusmodi materia innixæ rebus ipsis physicè, vel moraliter consideratis alicuius sunt momenti; Et licet essent, & non fieret contra iustitiam distributivam, omissione dignioris: at fieret sanè in Religiosam Republicam, & contra communitativam, & contrarium asserere, tum est absque fundamento, tum contra communem.

Sup. hoc sup. petri s in R. 4. & 5.

Hucvique Gerunda, qui etiam subdit, si ad solum Generalem Religionis pertineat eligere superiores, obligari ad eligendum digniores, vel æquè dignos post sufficientem, atque exactam diligentiam circa cognitionem personarum.

5. Vide etiam Giragum de regimine Ecclesie part. 1. dub. 3. per totum, qui postea in sequentibus dubiis, meritò inuehitur in Religiosos, qui in Capitulis generalibus Religionum capita factionum nuncupantur; contra quos etiam exardescit Laurentius Peyrinus de Pralato q. 2. cap. 2 §. 3. n. 19. & Thomas Hurtadus ubi supra n. 1641. ubi ita asserit, Quam malè faciant quidam qui potentes sunt in capitulis, & capita factionum, & gremiorum nuncupantur, qui ante electionem, & ingressum capituli faciunt tractatus non solum consultorios sed actionales, ut hi vel illi eligantur, & non alij diuersæ factionis, quamvis enim liciti sint tractatus, (etiam viuentis Pralato, ut constat ex cap. si transitus 29. dist.) per modum consultationis, ut agnoscat dignus qui eligendus sit, ut tenet Molfesius ubi supra cap. 16. num. 47. tamen tractatus factionales, ut de meo grege tot eligantur, & de tuo tot prorsus illiciti sunt, & ex illis omnis pestis regiminis regularis oritur, & fouetur ambitio, quæ venenum est in Religione. Vbi enim huiusmodi partialitates existunt, nec premiatur virtus, nec punitur vitium, sed virtutes gremij oppositi vitia iudicantur, & vitia gremialium suorum virtutes reputantur. Ita ille. Deploranda est igitur miseria istarum Religionum, si quæ reperiuntur, in quibus talia perpetrantur.

Sup. his tra. ctibus ma. gis lae supra in Ref. 116.

RESOL. CCXIX.

An Regulares pecuniam relictam cum onere perpetuo celebrandi Missarum possint implicare super bona Monasterij exempta à simili onere?

Et an ex prædicta pecunia possit extinguí census Monasterij, vel emi aliquis census, aut alter annuus redditus, aut reedificari Ecclesia, vel Monasterium? Ex p. 9. tr. 6. & Misc. 1. Ref. 25. aliàs 26.

Sup. conten. to in hac R. vsq. e ad not. seq. in tom. 2. tr. 1. Ref. 15. per totam, & ex Ref. 21. §. vlt.

§. 1. Hanc quæstionem pertractat Pasqualigus in 99. Can. Cent. 2. q. 17. 1. ubi quærit, an Regulares possint fundare censum ex pecunia eis relictâ pro Missâ perpetua, supra Monasterio, aut horto inserviente pro Monasterio. Et negatiuam sententiam tenet, nullum tamen Doctorem adducens.

2. Dico itaque, affirmatiuam sententiam docere Peyrinum in Formul. littera A. cap. 11. num. 2. cuius sententiam asserit aliquos Regulares practicasse; sed malè: nam ipsum Peyrinum meritò impugnat Bordon. in cons. Regul. tom. 1. Resol. 25. n. 34. & ad omnes rationes in contrarium respondet, negatiuam sententiam docens, firmando quod in nostro casu emenda sit noua proprietas, quæ actu fructificet per accretionem proventuum Monasterij. Probat, tum ex natura implicationis, quæ importat acquisitionem nouorum fructuum ex re frugifera ab alio empta, quæ aliàs propria non erat emptoris, aut saltem sit propria ratione fructuum: ut si domus locanda reedificetur iam combusta: siquidem implicatio accreuit nouos fructus im-

plicanti, quos antea non percipiebat; aliter implicatio produceret contrarium effectum, nimirum, onus sine commodo, & vili, si non adiungeret proventus implicanti tum ex Decreto Sacre Congregationis de celebratione Missarum, ubi decernitur, ut pecunia, ac bona mobilia, in futurum simpliciter acquirenda cum onere perpetuo Missarum celebrandarum, ab his, ad quos pertinet, sub poena interdicti ab ingressu Ecclesie, ipso facto incurrenda, à die realis acquisitionis statim deponi debeant penes ædem sacram, vel personam fide, & facultatibus idoneam ad effectum illa, seu illorum pretium quamprimum inuestiendi in bonis immobilibus fructiferis, cum expressa, & indiuidua mentione oneris, quod illi annexum reperitur. Pecunia ergo inuestienda est in bonis immobilibus fructiferis, quod fieri non potest, nisi ex implicatione acquiratur ius lucrandi nouos fructus, qui non acquiruntur in dictis casibus, neque etiam restauratione, seu refectione domus collapsæ, vel combustæ, aut adificatione Ecclesie, vel Monasterij, cum huiusmodi adificia non locentur extraneis, qui annuos redditus præbent. Et idè hanc sententiam, præter Pasqualigum, & Bordonum, tenet etiam doctus Magister Lez. in Summ. q. Reg. 10. 4. verb. Miss. n. 37. qui testatur, ita fuisse decisum inter Canonicos Basilicæ S. Petri, consulente viro quodam doctissimo, quem ipsi ad dubij decisionem vocauerant.

3. Nota etiam hic cum Bordon, contra Peyrinum locos citatos, non posse in casu nostro ex illa pecunia extinguí annuum censum Monasterij: quia extinctio census non est implicatio, seu inuestitio pecunie, sed æris alieni solutio. Si tamen talis census inpositus esset super aliquod bonum stabile fructiferum Monasterij, tunc extinctio illius esset quædam virtualis inuestitio talis pecunie in bono stabili fructifero nouos fructus fructificante, cum per illam accrescerent Monasterio illi fructus, qui in solutione reddituum census expendebantur, & per consequens saluaretur intentio Sacre Congregationis. Quo sensu, & non alio accipiendus est Peyrinus relatus, & Marthæ in decisionibus voto 243. n. 3. & 5. quæ ibi refert, & Marchinus de Sacram. Ordin. tr. 3. c. 15. dub. 4. circa Decreta Sacre Congregationis relata. Quamuis autem ipse Marchinus ibid. dub. 3. dicat talem pecuniam inuestiendam pro onere Missarum non posse collocari in emptione alicuius census, alteriusve annui redditus, ed quoddam census propriè non est bonum stabile, & facile percat: nihilominus oppositum existimo verius, & conforme praxi Ecclesie, quæ census bona stabilia, & fructifera censet: esto, non multum secura propter humanas varietates quod solum probatur non debere fieri huiusmodi inuestituram in emendo censu, nisi in casu, quo alia bona fructifera securiora emi nõ possint, aut ille census, moraliter loquendo, sit securus. Et hæc omnia docet etiam Lezana loco citato, quæ notanda sunt: nam casus quotidie accidit.

RESOL. CCXX.

An Regulares, quando adire non possunt Summum Pontificem, vel Sacram Congregationem debeant pignore vasa, lampades, candelabra argentea cum licentia Episcopi?

Sed circa hoc aliqua alia valde notanda, & mandanda pro casu occurrenti explanantur. Ex p. 5. tr. 1. §. 2. Misc. 1. Ref. 6.

§. 1. Inter Regulares potest frequenter hic casus accidere. Et suppono ex Castro Palao tom. 2. tr. 1. 2. disp. vn. pun. 15. §. 1. n. 2. Hieronymo Rodriq. in Comp. 99. Regular. resol. 7. num. 23. Barbosa de potestate Episcopi part. 3. allegat. 95. num. 38. Bonacina de alienat. disp. 2. quæst. vn. pun. 3. num. 30. Lessio lib. 2. cap. 24. dub. 11. num. 62. & alijs, non solum res immobilis Ecclesie non posse alienari, vel pignori absque licentia Pontificis; sed, neque etiam mobiles, si sint preciose,

pretiosa, & seruando seruari possunt, vt sunt vasa aurea, argentea, gemmæ, casula pretiosa, tapetes, & similia quæcumque triennio non corrumpuntur, & si item quæcumque triennio non corrumpuntur, & si item fructificant, vt olium græc. &c. Nam prohibita alienatione à iure, etiam prohibita est pignoriatio, ex *l. fin. C. de reb. alien. non alien.* Sed quid faciendum in casu, quando Pontifex adiri non potest? docet Peregrinus in nouo compendio nostrorum priuilegiorum *ver. Alienatio dub. 9.* vbi sic ait. Nona dubitatio est, quid si imminet summa necessitas alienandi, quæ Superiorem adiri non patitur, vt pro redemptione captiuorum, alimonia pauperum, vel nostrorum; vtrum possint Superiores nostri absque licentia alienare mobilia pretiosa, vel immobilia; Respondet quod alienare possunt mobilia pretiosa in supradictis, & similibus casibus, sed cum consensu Episcopii loci, si haberi commodè potest. Hac ille.

2. Sed hæc opinio Peregrini summopere mihi displicet, nam subiicit Regulares Episcopis in casu, in quo minimè subiecti sunt. Etenim in tali casu omnes Doctores asserunt alienationem esse licitam sine consensu Pontificis, nec vllam faciunt mentionem de licentia obtinenda ab Episcopo, sed posse Regulares pignoriari supradicta bona absque alia solemnitate, absolute docent. Et ita pro hac sententia multos adducit Quaranta in *summa Bullarum ver. Alienatio verum Ecclesie num. 42. limitat. 7.* quibus ego addo Filliucium *tom. 3. tract. 4. c. 5. num. 11.* & in terminis, vt dici solet, terminantibus Peyrinum in *suo Formulario lit. A. cap. 1. n. 3.* vbi sic ait. Vtcrius quæro, an Regulares indigentes victu, nec reperientes, qui credit illis tribuat, nec possint expectare consensum Romani Pontificis, possunt absque dicto consensu & absque incurfu centurarum res pretiosas in pignus tradere, seu pecunias ad cambium sumere, si aliter non reperiant. Et dato quod tradito pignore non reperiant, an possint dictas res pretiosas vendere, imò & immobilia? Respondet affirmatiuè, tum quia lex non ligat, quando de facto seruari non potest. *l. 1. §. dies, ff. quando appelland. sit cap. erit autem. dist. 4.* Tum quia lex seruanda non est, quando iniurè fiet, si seruetur, vt probat D. Thom. *2. 2. quest. 120. art. 1.* Tum, quia in qualibet prohibitione censetur excepta causa occurrens, quæ suadet oppositum, *cap. de cetero, & cap. quamuis, de sent. ex comm. cap. excellentissimus 11. quest. 3.* Tum, quia quæ ob fauorem sunt introducunt, non debent in odium retorqueri. *In nulla iuris ratio, ff. de lege reg. quod ob gratiam, de reg. iur. in 6. Tit.* quia impossibile nulla est obligatio. *Impossibile, ff. de reg. iur.* Et ita anno Domini 1627. Panormi ex consilio nostri Patris Trimarchi seruatum fuit in Consensu nostro S. Oliuæ. Fratres enim in pignus tradiderunt lampades argenteas. Ita Peyrinus *vbi supra*, vnde non est audiendus Peregrinus.

3. Sed circa præsentem quætionem referendus est etiam Megalius in *Prompt. ver. Alienatio n. 15.* vbi sic ait. Existimo in nostra Religione, in qua ex eleemosynis spontè oblati viuimus, & quæ non semper pro opportunitate habemus, non peccare nostros pignori dando res pretiosas cum consensu Præpositi, & Vocalium, vt occurrant vrgentibus necessitatibus, nam cum in nostra Religione solus consensus Præpositi & Vocalium ac Reuerendissimi Patris Generalis pro qualibet alienatione sufficiat, vt dictum est *supra*, & apud nos sæpius occurrat, res pretiosas pignori tradere. Præposito Generali, & vniuersa Religione hoc sciente, & non contradicente, videtur ab eodem Patre Generali, & vniuersa Religione vniuersaliter concessum, vt possint nostri hoc facere cum consensu Præpositi & Vocalium. Hæc omnia Megalius. Quæ quidem mihi approbata minime videntur; nam si nostri Superiores locales possunt præui-

dere necessitatem oppignorandi, si tempus adest non video qua ratione non teneantur sumere licentiam à Patre Generali, cum ius clamet, alienationes, & per coniequens pignorationes non esse faciendas à Regularibus inconsulto summo Pontifice, pro quo ex priuilegio succedit in nostra Religione Pater Generalis. Neque adeste licentiam illam generalem pignorandi in nostra Religione existimo, quia verisimiliter non potest præsumi Generales voluisse hanc potestatem a seipsis abdicare, & Præpositis ac Capitulis domorum præbere. Imò ego puto neque posse: nam, vt patet, Bullæ Pontificiæ, & Decreta sacre Congregationis penitus hanc auctoritatem ex iustis rationibus à Capitulis & Superioribus inferioribus domorum tollere voluerunt, & de facto abstulerunt. Ergo quo pacto Generales possunt hanc potestatem contra mentem Pontificum eis tribuere? Nec ipsi iustum motiuum ad faciendum hoc habuissent? Nam si necessitas adestet, & Superiores locales pro licentia ab ipsis obtinenda tempus non haberent, iam tunc, vt dictum est, pignoriatio Generali inconsulto esset licita; si autem tempus concederet, vt pro licentia ad Generalem scribatur, sicuti Bullæ Pontificiæ decerant, quænam ratio vult, vt Generali inconsulto contra mentem Pontificum talis alienatio efficiatur? Adde quod dicta licentia Generalis, quam supponit adelle Megala, non sufficeret, debent enim Generales hanc licentiam Capitulis & Præpositis domorum præbere singulis vicibus causa cognita, id est, ex informationibus ad ipsos pro hoc effectu à Præpositis domorum missis, cognoscere an pro alienatione adsit iusta causa, nempe euidentis utilitas, & vt esset in casu, de quo loquimur, necessitas, cui aliter succurri minime possit. Et ita docet Marcus Vulpinus in *praxi c. 6. num. 27. & sequent.* Conferuntur in *primis, Mendican. tit. 9. c. 2.* & alij, ac etiam patet ex *praxi omnium Religionum.* Vnde in nostra passim video, quando talis casus occurrit, nostros Superiores locales, si tempus adest, informare Patrem Generalem de necessitate, & licentiam pignorandi obtinere, & si aliquando id non faciunt, procedit ex necessitate vigenti, quia tempus non præbet, vt ad Generalem pro licentia, & consensu recuratur; in quo casu, vt dictum est, possunt Regulares supradicta bona pignoriare. Ergo dicendum est contra Megalam nostros Superiores locales non posse pignoriare vasa argentea inconsulto Generali, cum pro licentia ad illum recurrere possunt.

4. Sed ex his oritur magna difficultas, de qua ego olim fui Romæ interrogatus ab admodum R. P. D. Philippo Maria Guadagni, nunc secunda vice Generali nostro meritissimo, huiusque litteraturæ consultissimo. Nam videtur Superiores locales nunc etiam inconsulto Generali non posse alienare, atque ideo oppignorare bona mobilia, quæ seruando seruari possunt inconsulta sacra Congregatione, vt patet ex sequenti Decreto. Sacra Congregatio Cardinalium Concilij Tridentini interpretum censuit, Religionem Clericorum Regularium Theatinorum, quamdiu institutum propositum tetinear quoad bona immobilia non comprehendit in prohibitione nuper edita de rebus Regularium non alienandis. *Cosmas Cardinalis de Torrer. Prosper Fagnanus S. Congreg. Secretar.* Ex qua declaratione, vt patet, conceditur nobis licentia inconsulta sacra Congregatione alienandi bona immobilia, non autem mobilia ergo, &c. Et ita hanc sententiam tenet Peregrinus in *Compend. priuileg. ver. alienatio; in principio sui scholij.* Pro qua firmata rationem non adducit, & hæc est; quia cum sit prohibitum alienare bona immobilia, & mobilia, quæ seruando seruari possunt, dum sacra Congregatio concedit alienari posse immobilia, sequitur alienari

non posse mobilia; nam inclusio vnius, est exclusio alterius, ex l. cum Prator. ff. de indic. l. cum maritus, C. de procurat. l. quammis, C. de pignor. & tradit Menoch. conf. 106. num. 314. & sequent. & conf. 1148. n. 13. & seq. Surdus decis. 145. num. 12. & conf. 25. num. 3. cum aliis penes ipsos.

5. Sed his non obstantibus posset aliquis dicere, quod in dicta declaratione sacre Congregationis etiam data sit licentia alienandi bona mobilia: quia, ut optime obseruat Castrus Palaus tom. 2. tr. 12. disp. vn. puncti. 15. n. 13. tota ratio prohibitionis alienandi res mobiles, quae seruando seruari possunt, est, quia inter bona immobilia computantur. Ergo concessa licentia alienandi bona immobilia, consequenter conceditur licentia alienandi bona mobilia; nam, ut dictum est, bona mobilia, quae seruando seruari possunt, bona immobilia reputantur. Et ita hanc sententiam, non adducens tamen hanc rationem, docet in terminis Ioannes Antonius Nouarius in summa Bullarum de alienatione rerum Regularium prohibita, n. 29. vbi postquam supradictam declarationem sacre Congregationis attulisset, ex illa sic infert. Vnde alienatio bonorum in Religione Theatinorum siue omnino, siue per constitutionem census redimibilis, siue per concessionem in emphyteusim potest à Præposito cum consensu duarum partium Vocalium illius domus, cuius bona sunt alienanda, siue sint mobilia etiam pretiosa, siue sint immobilia cuiuscumque qualitatis & valoris, & in quocumque loco existentia, obtenta tantum facultate Præpositi Generalis, non autem Summi Pontificis, aut sacre Congregationis. Ita Nouarius. In quibus verbis, ut vides, non obstante quod in dicta declaratione solum efficiatur mentio de bonis immobilibus; hic author tamen ait idem dicendum esse de mobilibus, quae, ut dictum est, si seruando seruari possunt, inter immobilia numerantur; & ideo in licentia illa alienandi includuntur etiam ista.

6. Restat modò respondere ad argumentum pro contraria sententia adductum. Dico igitur veram esse regulam, quod inclusio vnius, est exclusio alterius; sed limitatur quando eadem ratio militat in exclusio, quae in inclusio, ut tradit Thomas de Thomassetis in floribus legum reg. 148. Menochius conf. 197. numer. 83. ver. Non obstat primo, & neotericus Barbosa, Simeon, & Augustinus, ille in locis communibus lit. 1. num. 17. hic in axiomatibus iuris, axiom. 120. numero 12. Sed in nostro casu, ut clarè patet, eadem ratio militat in bonis immobilibus, ac in bonis mobilibus; ergo inclusionem bonorum immobilium in Decreto sacre Congregationis factam dicendum est non excludere bona mobilia. Sed omnia supradicta disputationis causa dicta esse volo, nam resolutionem huius difficultatis ad oraculum Purpuratorum Patrum remitto.

RESOL. CCXXI.

Ad quam summam debet ascendere res ut pretiosa dicatur, ad effectum, ut Pralatus illam non possit alienare?

Et an Reliquia Sanctorum non possint alienari ita ut comprehendantur sub bonis mobilibus pretiosis prohibitis, sine debita solemnitate?

Et an possit fieri permutatio ab vna Ecclesia ad alteram absque solemnitate?

Et alij duo casus circa hoc in §. 4. & 5. huius Resolutionis explanantur.

Et tandem notatur non posse Regulares, inconsulta Sacra Congregatione accipere pecunias ad Cambium, vel mutuo cum solutione lucri cessantis, vel damni emergentis.

ris. Ex part. 4. tract. 4. & Misc. 2. Ref. 223.

§. 1. **A**D hoc dubium ita respondet Castrus Palaus tom. 2. d. vnic. puncti. 15. §. 1. n. 2. Quod si inquiras cuius valoris debet esse res, ut pretiosa dicatur? Respondeo, mihi videri centum aureos attingere debere, h. n. sic illas res mobiles alienabiles esse, quae valore centum aureorum non attingunt. Ita illes, quod esset valde notandum, nisi determinasset sacra Congregatio, teste Homobono in consulti. cas. conf. vol. 2. p. 6. respons. 98. & Peregrino in compendio nouissimo nepturum priuilegiorum, ver. Alienatio bonorum, in solutio, mobile pretiosum illud censeri quod excedit valorem 25. aureorum.

2. Notandum est tamen hic obiter, primò opinionem asserentem, Reliquias Sanctorum non comprehendendi sub bonis mobilibus pretiosis, prohibitis sine debita solemnitate alienari, probabilem esse, ut aduertit Peregrinus loco citato sub 4. & Bonacina tr. de alienatione disp. 2. q. vnic. puncti. 2. n. 3. 1. quia in Extraxag. Ambrosiose sermo solus est de alienandis bonis temporalibus pretio aestimabilibus: sed Reliquiae non sunt pretio aestimabiles; ergo illarum alienatio non prohibetur ex hoc capite. Sed affirmatiuam sententiam tenet ipse Bonacina, Peregrinus, Castrus Palaus numero 8. & alij.

3. Nota secundò, posse fieri permutacionem ab vna Ecclesia ad alteram absque solemnitate. Ita Trucifanus p. 2. decis. 16. & alij, contra Bonacinam de alienatione, d. 2. q. vnic. p. 2. n. 14. Sed ego puto cum Peregrino loc. cit. sub 7. vtramque sententiam probabilem esse.

4. Nota tertio, fieri posse sine debita solemnitate transactionem, remissionem, aut concordiam aliquam de rebus Ecclesiae, in quarum possessione ipsa Ecclesia non existit, quia tunc non alienantur res, quas habet Ecclesia, sed quas sperat sub dubio habere remittere pro alicuius rei certae acquisitione. Ita Castrus Palaus §. 3. num. 2. & alij penes ipsum.

5. Nota quarto, oblationes imagini Regularium factas, praeter vota aurea, & argentea magni valoris, posse alienari per Superiorem sine requisitis solemnitatibus. Ita ex Bonacina Antonius Nouarius in summa Bullarum tit. de alienat. num. 22.

6. Nota quinto, non posse Regulares inconsulta sacra Congregatione, ut patet ex decreto sub die 21. Maij 1624. accipere pecunias ad cambium, vel mutuo, cum solutione lucri cessantis, vel damni emergentis. Ita Homobonus in cons. cas. conf. vol. 2. p. 6. resp. 97. Nouarius loco citato n. 13. Peyrinus in priu. Murim. tom. 2. conf. sit. 8. Urbani VIII. nisi excusaret, ait Lezana in summa qq. Regul. cap. 10. n. 4. aduersus dictum decretum, consuetudo legitime praescripta.

RESOL. CCXXII.

An si Comensus, vel particularis Religiosus consenseret in Banco pecunia quantitate cum sienore, possit exinde extraham illam distrahere non obstante P.alina, & Decreto Sacre Congregationis?

Et an census computetur inter mobilia, & pecunia retrahatur ex redemptione census Ecclesiae possit distrahi absque facultate Apostolica? Ex p. 10. tr. 16. & Misc. 6. Ref. 52.

§. 1. **A**ffirmatiuè respondet P. Bordonus in Cons. regul. tom. 1. resol. 27. n. 52. Tum quia pecunia exposita negotiationi per contractum locatiuè, & finito negotio, seu tempore praefixo restituta potest distrahi, cum huiusmodi pecunia sic exposita non habeat perpetuitatem in fructificando, vnde vna ex conditionibus est, ut non possit fieri pactum, Saluo Capitali.